18

INVOCATIO
BRACHII SECVLARIS

Cum mandato executiuo,

Contra Confratres Societatis Ioannis Dei, & alios quoscumque habitum, seu Capuccium, per RR. Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinos nuncupatos, gestari solitum, (contra summorum Pontificum Constitutiones) temerè gestantes.





ROMAE,
Apud Paulum Bladum, Impressorem Cameralem M. D. X CIII.

INVICTISSIMO & Potētiss. RODVLPHO ab Austria Romanorū Imperatori Electo, semper Augusto, ac Serenissimis & Catholico Hispaniarū, alijsque Serenissimis aliorum Regnorum Reipublicę Christianæ Regibus, Rerum publicarum, & quorūcumq; Statuū & Prouinciarū Ducibus, Potestatibus, Magistratibus, & Rectoribus, eorumque Illustrissimis & Excellentissimi Dominis Proregibus, Viceducibus, & Gubernatoribus, ac Illustrissimis & Reuerendiss. Dominis Sedis Apostolicę Legatis, Nuncijs, Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & alijs quibuscumq; in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac Illustriss. DD. Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Castellanis, Arcium Præfectis, ac quarumcumque Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorū Gubernatoribus, Vicarijs, Potestatibus, Auditoribus, Locatenentibus, Iudicibus ordinarijs, ac extraordinarijs, ac delegatis, subdelegatis quibuscumque, barisellis quoque, executoribus, cæterisq; Iustitię ministris quibuscumque quoquomodo nuncupatis, illiq; vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ litteræ peruenerint per totum Orbem Terrarum. CAMILLVS Burghesius Protonotarius Apostolicus, vtriusque Signaturæ Sanctissimi D. N. Papæ Referendarius, ac eiusdem S. D. N. Papæ, necnon Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanęq; Curiæ Iudex ordinarius, Sententiarum quoque, & censuratum, tam in Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac litterarum Apostolicarum quarumcumq. vniuersalis & merus executor, ab eodem S. D. N. Papa specialiter deputatus, Salutem in Domino, & nostris huiusmodi, imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis NOVERITIS nuper coram nobis pro parte ad instātiam Reuer. Patris Fratris Hieronymi de Politia Siculi, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum Vicarij Generalis, & R. P. F. Bonauenturę de Monteregali eiusdem Religionis Procuratoris, & Commissarij Generalis principalium, comparitum & expositum fuisse. Quod cum aliàs fel. rec. Paulus Papa III. attendens vberes fructus, quos Ordo ipse Minor in Agro Militantis Ecclesiæ eatenus produxerat, & in posterum producturū spe firma sperabat, ac dignum censens, vt circa ea, quę ipsius Ordinis incrementum concernebant, benignos fauores impēderet, supplicationibus nonnullorū tunc expressorum fratrū dicti Ordinis supplicationibus inclinatus, nonnullas litteras piæ mem. Clementis VII. eius prædecessoris, nonnullis fratribus tunc expressis Ordinis Minorum, vitam heremiticam ducere, appositione eiusdem & quantum humana patiebatur fragilitas Regulam Beati Francisci obseruari cupientibus, concessas, Apostolica auctoritate, ex certa scientia sua approbans, & confirmans, illas tunc, & pro tempore existenti, Vicario Generali Congregationis Capuccinorum, ac ipsis Congregationis Fratribus, (perinde ac si illæ eisdem Congregationi & Fratribus directè fuissent) quoad omnia & singula in ipsis litteris contenta suffragari debere decreuit; Et nihilominus auctoritate & scientia similibus, per suas sub plumbo confectas litteras, nonnulla pro dictis RR. Fratribus Capuccinis, statuit & ordinauit: districtius inhibens quibuscumque personis, cuiuscumque conditionis existerent; sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, eo ipso incurrenda, ne habitum per eos deferri solitū, nisi sub prædicti Reu. Vicarij Generalis pro tempore existentis Obedientia & Cura permanerent, gestare quoquomodo præsumerent; & successiue sanctæ etiam memoriæ Pius Papa Quartus, per eius litteras sub plumbo expeditas, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M.D.LXIIII. Nonis Aprilis, litteras prædicti Pauli prædecessoris huiusmodi, ac omnia & singula in eis contenta, ita quod nullus cuiuscumque conditionis existat, non solum Capuccinorum habitum, iuxta prædictarum litterarum P.uli prædecessoris tenorem, verum etiam nec ita consimilem, quod propter eum, possit credi, Fratres eorum Congregationis nisi sub prædicti eorum R. P. Vicarij pro tempore existentis obedientia & cura permaneant, sub simili pœna excommunicationis latæ sententiæ quoquomodo gestare præsumant: Auctoritate Apostolica prædicta confirmauit, & approbauit, ac omnia, & singula in eisdem litteris fel. recor. D. Pauli Papæ Tertij contenta, prædicta de nouo concessit, ac deinceps fel. record. Gregorius Decimustertius per eius litteras in forma Breuis, sub Annulo Piscatoris expeditas, die 4. Octobris M.D.LXXXI. Pontificatus sui Anno decimo, specialiter & expresse prædictas Constitutiones Pauli Tertij, & Pij Quarti (quoad Caputij & habitus Fratrum Capuccinorum gestationem) approbauit, confirmauit, & innouauit, prout in prædictorum summorum Pontificum litteris plenius contineri dicitur. Quodq; per Illustrissimos & Reuerendiss. DD. Cardinales Sacræ Regularium

Congre-

Congregationis vigore auctoritatis & facultatis eiſdem à Sanctiſſimo D.N. Sixto diuina prouidentia Papa Quinto fel. record. per ſuas litteras in forma Breuis ſub Annulo Piſcatoris (vt moris eſt) legitime expeditas, ſub datum Romæ apud Sanctum Marcum, die decimatertia Iunij, Anno M.D.LXXXVII. Pontificatus ſui Anno Tertio, attributæ: Inſtantibus RR. Patribus Capuccinis, ſancitum, & decretum fuit, prout in quadam papiri cedula per Illuſtriſſimum & Reuerendiſs. Cardinalem Alexandrinum ſubſcripta & firmata, & eius ſigillo munita; & Reu. P. Generali prædictæ Societatis S. Ioannis Dei intimata, Coram nobis exhibita tenoris ſubſequentis, videlicet, Sacr. Regular. Congregatio inſtantibus Fratribus Capuccinis cenſuit Confratres Societatis Ioannis Dei, nullatenus debere geſtare habitum cum Capucio oblōgo, ſiue acuto, ſed rotundo: ſub pœna carceris, Congregationis arbitrio, licentiāq; propterea conceſſit ipſis Fratribus Capuccinis omnes contrafacientes carcerare faciendi. Die decima ſexta Ianuarij 1588. Cardinalis Alexandrinus, Georgius Palearius Secretarius ✠ loco ſigilli. Item pariter inſtantibus eiſdem Fratribus Capuccinis per eandem ſacram Congregationem Regularium ſancitum, decretum, & ordinatum fuit, prout in quadam papiri cedula per Secretarium dictæ ſacræ Congregationis ſub die tertia Martij, 1592. ſubſcripta huiuſmodi ſub tenore videlicet. Moneantur ſub pœna ablationis Cappuccij decima Martij, 1592. Georgius Palearius ſubſcripſi. Et expoſito nobis pro parte & ad inſtantiam eorūdem RR. PP. Capuccinorum videlicet Vicarij & Procuratoris Generalium, quod aliqui ex Confratribus Societatis Ioannis Dei, & forſan nonnulli alij habitum cum Capuccio oblongo ſiue acuto, abſque licentia R.P. Vicarij Generalis Ordinis Capuccinorum contra formam ordinationum & conſtitutionum, præfatorum ſummorum Pontificum in maximum, animæ ipſorum contrauenientium, detrimentum, in dedecus, & vilipendium Sacræ Religionis Capuccinorum; & Populorū ſcandalum geſtare audent, & præſumunt. Cupienteſq; prædicti RR.PP. Vicarius, Procurator, & Commiſſarius generalis prædictas litteras Apoſtolicas, & Decretum prædictæ ſacræ Congregationis ſuum (vt par eſt) debitum ſortiri effectum, debitamq. executionem conſequi: Ad nos, tāquam ſimilium Executorem, recurſum habuerūt, vt in præmiſſis de opportuno iuris remedio prouidere, & in executionem præmiſſorum contrafacientes brachium ſeculare, & mandatum exequutiuum decernere, & concedere dignaremur. NOS igitur attendentes requiſitionem huiuſmodi fore iuſtam, & rationi conſonam, & quod iuſta petenti non eſt denegare aſſenſus, volenteſq. mandata Apoſtolica (vt conuenit) reuerenter exequi, & ſtante monitione, ac intimatione præinſertorum Decretorum Reuer. P. Generali S. Ioannis Dei monitos, & intimatos, ac etiam in ipſis iterum citatis ad dicen. contra præfatas litteras Apoſtolicas, & illarum exequutionem: mandatum exequutiuum, & brachium ſeculare contra omnes fratres dictæ Religionis geſtantes Capuccios oblongos, & acutos, contra formam DD. Decretorum, & de illis auferendo decerni, & relaxari, Comparente coram nobis R.P. Priore Romæ dicti Ordinis S. Ioannis, & offerente ſe paratum vnà cum alijs Fratribus pro tempore eius obedientiæ ſubiectis geſtare Capuccium rotundum, & iuxta formam Modelli aliàs dati.

NOS autem facta comparatione Capuccij, quod ipſe R. P. Prior, & eius Socius geſtabat, reperimus eſſe Modelli, & formæ datæ & aſſignatæ: Et ſtante dicta oblatione, ac iuribus, de quibus ſupra mandatum exequutiuum contra omnes, & ſingulos contrafacientes, & inobſeruantes, Caputiumq. oblongum, & acutum, nunc, & pro tempore geſtantes decernendum, & relaxandum duximus, decreuimus, & relaxauimus, prout decernimus, & relaxamus per præſentes. QVAE OMNIA & ſingula ſupradicta vobis omnibus & ſingulis ſupradictis intimamus; inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram, & cuiuslibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes. QVOCIRCA vos inuictiſſimum Romanorum Imperatorem, & Sereniſſimos Reges, ac alios DD. Temporales, iuriſdictiones exercentes, ac Illuſtriſſimos DD. Legatos in Domino attente rogamus, & hortamur, quatenus veſtram in hac parte dexteram extendentes, tamquam iuſtitiæ & fidei zelatores. Vobis vero alijs prædictis committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis à Diuinis, pœnis, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquam vigore præſentium pro parte DD. Fratrum Capuccinorum, aut alicuius eorum fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus ex parte noſtra, imo verius Apoſtolica auctoritate, omnes & quoſcumque Confratres Societatis Ioannis Dei, & alios quoſcumque nunc, & pro tempore contrafacientes, & in quibuſuis locis ge-

ſtantes

ſtantes habitum cum Caputio oblongo, ſiue acuto carceretis, & in carceribus detineatis per captionem córporum, & perſonarum, ac dictorum Capuciorum ablationem, cogatis & compellatis ad dimittendum & relaxandum dictum habitum cum Caputio acuto, ſiue oblongo, & in præmiſſis non ceſſetis, nec ceſſare faciatis, donec dictum habitum dimiſerint, & habitum cum Caputio rotundo iuxta formam præinſertæ ſacræ Congregationis detulerint, & omnia ſupradicta adimpleuerint, ac illis paruerint. In præmiſſis vos taliter habentes, quod nota contemptus, ſiue contumaciæ vobis nullatenus adſcribatur. In quorum fidem, præſentes noſtras litteras, ac alias in papiro fol. impreſſas, vt in diuerſis mundi partibus tranſmitti poſſint; Et per Notarium noſtrum, & Curiæ noſtræ infraſcriptum ſubſcribi, ſigilliq. Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ, quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus appenſione muniri. Dat. Romæ [in] ædibus noſtris ſub anno Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo quingenteſimo nonageſimoſecundo, Indictione quinta, Die vero duodecima menſis Maij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ Octaui Anno Primo.

A. Iuſtus Locumtenens.

Marcus Antonius Brutus Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.